



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XXXVII. De Providentia Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

# DISPUTATIO XXXVII.

## De Providentia Dei.

**D**ISPVTAVERAT in superioribus S. Thomas de Intellectu & Voluntate Divinâ, & utriusque naturam, ac proprietates figillatim discusserat: nunc ergo *Questione 22. de iis agit, quæ ad intellectum simul & voluntatem pertinent, Providentiâ scilicet, Prædestinatione & Reprobatione.* Nunc ergo *Sancti Doctoris vestigiis insistendo, de his omnibus disputationem suo ordine instituat, actuumque illorum, qui, tum ex parte Dei, tum nostri hac in re interveniunt, seriem attexam, & quo pacto in hoc Providentiæ & prædestinationis negotio se habeant ostendam.*

### SECTIO PRIMA.

*Quid sit, & in quibus actibus consistat Providentia.*

**I.**  
*Providentiæ, & providere variis modis sumuntur.*



**P**ROVIDENTIA & providere, si vim vocis spectemus, duo significant: Primò ut idem sit providentia quòd prævidentia, seu præsentia, & providere idem ac prævidere: atque hoc sensu ad quamcunque præcognitionem, etiam speculativam, & rerum quarumcunque extenditur. Sic vocem hanc usurpat Cicero pro Muræna: *Est, inquit, boni consili, non solum videre quid agatur, verum etiam providere quid futurum.* Et providentia hoc modo sumpta est pars prudentiæ, rerumque futurarum prospicientiam denotat. Secundò providere est quasi pro aliquo videre, resque omnes alicui necessarias procurare.

*Providentiæ pars Prudentiæ.*

**II.**  
*Quos in se actus includat providentia.*

In præsentii itaque, Providentia utramque hanc significationem complectitur, sumiturque pro singulari illa curâ, quâ Deus rebus creatis prospicit, easque in fines suos dirigit. Providentiâ ergo, prout hic accipitur, actus tum intellectus continet, tum voluntatis. Ex parte intellectus denotat imprimis in Deo simplicem intelligentiam, quâ tum finis, tum mediorum vim & naturam cognoscit: deinde Scientiam conditionatam, seu mediam, per quam videat Deus, quid in omni rerum peristasi, & quibuscunque circumstantiis sit futurum: qua de re plura infra, Sectione 5. & 6. ubi rem hanc ex professo tractabimus.

*Scientia simplicis intelligentiæ ad providentiâ necessaria.*

**III.**  
*In quibus actibus rebus ad providentiâ requiritur scientiæ visio.*

Uterius in quibusdam rebus præter scientiam simplicis intelligentiæ, per quam representatur res facienda, requiritur scientia visionis alterius objecti: sic ut Deus aliquem puniat, præsertim penâ æternâ, non solum requiritur scientia simplicis intelligentiæ, quâ representatur pœna infligenda, sed scientia insuper visionis culpæ: ob quam infligitur: quæ proinde cognitio non dirigit merè instar Ideæ, sed per modum causæ quasi moralis, culpa quippe cognita Deum movet ad penam infligendam.

**IV.**  
*Ad providentiâ requiritur nonnulli imperium præcticum, Fac hoc.*

Non levis autem est inter Theologos controversia, utrùm præter hos actus, ad providentiâ ex parte intellectus divini requiratur imperium illud præcticum, à nonnullis dictum *Fac hoc.* Communis est Thomistarum opinio hoc imperium re-

quiri, quos sequitur Granado hic, tract. 5. disp. 3. ubi & fusissimè illud explicat, & astruit ejus necessitatem, duplexque in Deo imperium statuit, *Oeconomicum, & Monasticum.* *Oeconomicum* imperium est illud, quo superior subditis intimat quid ab ipsis fieri velit: unde hoc imperium in Deo reperiri certum est, cum nihil aliud sit, quàm voluntas condendi leges, & creaturæ rationali, quid ab eâ faciendum sit, præscribendi. *Imperium verò Monasticum,* inquit, est actus quo intellectus voluntati, aut aliis facultatibus ejusdem suppositi intimat, quid ipsis faciendum sit, actus intellectus, exempli gratiâ quo Deus mundum fieri præciperet à sua voluntate, explicaturque his terminis *Fac hoc.* Istud itaque etiam imperium in Deo statuendum asserit.

*Imperium Oeconomicum & Monasticum.*

Dicendum nihilominus hujusmodi imperium in Deo non reperiri, tum quia tolleretur libertatem, si ita statuatur, ut eam statuerent videntur hi Auctores, ita scilicet ut ei resisti nequeat, tum quia esset planè superfluum; posita enim cognitione finis & mediorum, potest voluntas pro sua libertate, & intendere finem, & ad hoc vel illud medium applicandum sese, nullo alio interveniente, determinare; ad hoc quippe bonitas quæ in fine relucet, & utilitas quæ in mediis abundè tam in Deo, quàm in nobis sufficit, & quicquid præterea additur est omnino supervacaneum: ita Suarez lib. 1. de Prædest. c. 16. Vasquez l. 2. disp. 49. cap. 4. Tannerus l. p. disp. 3. quest. 1. dub. 1. n. 9. Arriaga hic, Disp. 32. sect. 1. subsec. 1. Coninek de actibus, Disput. 12. dub. 5. Hurtado Disput. 14. de anima, sect. octavâ, & alii. Et hæc de actibus ad providentiâ ex parte intellectus requisitis.

**V.**  
*Imperium illud præcticum ad providentiâ esset omnino superfluum.*

Ex parte autem voluntatis, ad providentiâ necessaria est & intentio finis, & mediorum ad illum conducentium electio; hoc enim rectus ordo, & apta rerum dispositio postulat; parum enim juvaret finis & mediorum cognitio in intellectu, nisi intentio & executio sequeretur in voluntate, & hæc sese ad opus applicaret.

**VI.**  
*Quinam actus ad providentiâ requirantur ex parte voluntatis.*

Quamvis ergo Doctores aliqui, ut S. Bonaventura, Scotus & alii apud Vasquez hic, Disp. 87. c. 3. in quam etiam sententiam videtur ipse propendere, dicant providentiâ in solo actu voluntatis sitam esse: cui etiam opinioni non parum favere videtur S. Damascenus lib. 2. *Orthod. Fidei*, cap. 29. his verbis: *Providentiâ est voluntas Dei, per quam res omnes aptè congrueque gubernantur.* Licet etiam alii

**VII.**  
*Providentiâ completè sumpta, in intellectu simul & voluntate sita est.*  
S. Jo. Damascenus.

econtra affirmet consistere eam tantum in actu intellectus, ut docet Molina 1. parte, quaest. 22. art. 1. disp. 1. Valentia hic, quaest. 22. punct. 1. Bellarminus lib. 2. de Gratia & Libero arbitrio, cap. 9. & alii, teneréque videtur Boëtius 4. de Consol. Prosa 5. Providentia, inquit, est ipsa divina ratio, in summo omnium principe constituta, qua cuncta disponit. Hæc, inquam, esto ita se habeant, providentia tamen complete sumpta actus tum intellectus tum voluntatis includit: nec enim sufficienter providere alteri, seu prospicere censetur is, qui quid factu opus est videt, nisi etiam operi ea mandare velit, quæ ad hunc finem videt esse necessaria.

Boëtius.

SECTIO SECUNDA.

Sitne in Deo Providentia.

**I.** NUMEN quidam, Numinis providentiam multo plures negarunt, insipienter omnes, & Philosophorum, quo utebantur nomine indigni. Providentiam itaque divinam negarunt imprimis Epicurus & Democritus, casu omnia contingere asserentes, Providentiam verò, ut testatur Cicero lib. 2. de Nat. Deorum, animum fatidicam appellantes. Eandem Dei providentiam negarunt Heraclitus & Lucretius, omniâque secretâ quadam vi rebus inditâ, & quodam naturæ impetu, aut fortuito atomorum concursu evenire asseriebant. Erravit etiam Plato, qui, ut refert S. Thomas hic, quaest. 22. art. 3. Corp. Cæli quidem, & astrorum, Idearum item & universalium, ac nobilium quorundam specierum curam, Deum per se gerere aiebat, rerum autem viliorum, maximè inanimatarum administrationem Intelligentiis committere.

Platonis circa Dei providentiam error.

**II.** Nec immunis ab hoc errore fuisse videtur Aristoteles, qui, ut in ejus vitâ refert Laërtius, curam Dei ac providentiam se infra Lunam non extendere assererat, sed iisdem cum sphaeris celestibus terminis definiti: illud veluti de Deo pronuncians. Circa cardines cæli perambulât, & nostra non considerat. Quare S. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, S. Ambrosius lib. 1. Offic. c. 13. Nemesius lib. 8. Philosoph. c. 4. circa Divinam Providentiam errasse Aristotelem affirmant. Alii nihilominus eum ab hoc errore vindicant. Ut ut est, cum lib. 12. Metaphys. cap. 9. asserat absurdum esse Primam Mentem de rebus quibusdam cogitare, & melius esse, quedam non videre: cum etiam, ut ostendit Vasquez hic, Disp. 64. cap. 1. num. 3. Deo futurorum contingentium scientiam negaverit, clarum videtur eum de Divinâ Providentiâ rectè non sensisse. Unde idem Vasquez prima part. Disp. 66. cap. 2. num. 11. & Disput. 87. cap. 1. num. 2. 3. 4. & 5. latè ostendit Aristotelem circa Divinam Providentiam errasse. Librotamen de Mundo, cap. 6. circa medium pulcherrimè de Divinâ Providentiâ, ejusque in Universi totius administratione sapientiâ loquitur. In hoc eodem errore constat fuisse Plinium lib. 2. hist. natur. c. 7. ubi sic habet: Irridendam verò, inquit, agere curam rerum humanarum istud, quicquid est summxm. Annè tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemusque? Hæc ille.

Erravit Aristoteles circa Divinam Providentiam.

**III.** Istud verò suum asseritum, Deum scilicet rerum humanarum curam non gerere, inde se convincere opinantur, quòd omnia, non consilio, æquitate, & prudentiâ, ut ipsi aiunt, sed temerè accidere videamus: malos etenim, omnique flagitiorum genere coopertos, in dies extolli & exaltari, bonos è contrâ, vitæque ac morum integritate insignes deprimi

cernimus: illos divitiis rerumque omnium copiâ affluere, hos summâ laborare inopiâ, & in perpetuis fordibus jacere: illos denique longâ annorum serie, vitam ad extremam usque senectutem in florētissimâ fortunâ protrahentes, naturæ tandem concedere; hos in ipso atatis flore immaturâ sæpè morte extingui; & si ad seniles annos pervenerint, infinitis sæpè numero malis circumsepti, ærumnissimam ætatem agunt, vitamque trahunt omni morte acerbiorè.

Deprimuntur non tantum boni, mali extolluntur.

Hæc illi: conficiéque hac suâ argumentatione existimât, quantumvis admittatur summum aliquid esse Numen, seu Deum, nullâ tamen rerum nostrarum curâ tangi, sed casui omnia, fortuitisque eventibus permittere. Verùm hi ad paucâ respicientes definiunt, & pecudum instar, quæ ante pedes posita sunt tantummodò perpendentes, eodemque vitæ corporis & animæ terminos statuentes, felicitatem omnem penes hujus vitæ cursum metuntur. At quibus altior est intelligenti vis, mundum hunc, non honoris, non gloriæ & triumphi, sed agonis & certaminis locum esse intelligunt, ubi quòd quis plures in virtutis exercitatione, vitæque ad omnem honestatem instituenti lobores ac molestias perulerit, è ampliori em aliquando, post vitæ scilicet hujus curriculum, mercedem consequetur. Quòd verò quis magis hic lætatur voluptatem, seque in vitiorum ceno volutat, & falsâ delusus felicitate, ducit in bonis dies suos, è atrocioribus afficitur cruciatibus, & breves delicias æternâ pœnâ luet. Hinc Psalmista Regius cum sibi hæc ipsam difficultatem, de impiorum scilicet in hac vitâ prosperitate proposuisset: Existimabam, inquit, ut cognoscerem hoc, labor est ante me: Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum. Rem hanc fufius discussi in Prometheo Christiano, Disp. 14. sect. 4.

IV. Dei nostrarum rerum providentiam negant, ad paucâ respicientes definiunt.

Memoriam licet, non penes ea que hic contingunt, sed qua post mortem accidunt, notanda.

Psalm. 71. ver. 16.

Dicendum itaque, tanquam certissimum tenendum esse dari in Deo providentiam, per quam hunc mundum administrat: ita Theologi, imò Orthodoxi omnes, nec citra ingentem temeritatem, & errorem in fide à quoquam negari potest: id enim apertissimè testatur variis locis Scriptura, in quâ nihil frequentius, quam Deum rerum creaturarum, hominis præsertim curam gerere: sic Sapient. 6. ver. 8. dicitur: Pusillum & magnum ipse fecit, & aequaliter cura est illi de omnibus. Ibidem etiam cap. 12. ver. 13. sic habetur: Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus. Nec minus clara hujus rei testimonia subministrat Novum Testamentum: unde Matth. cap. 6. ver. 26. dicit Christus: Respiciat volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa: nome vos magis pluris estis illis? Ex quibus conficitur fide certum esse dari in Deo providentiam.

V. Individui est dari in Deo providentiam.

Varia sunt genera, mensura est, deus dari in Deo providentiam.

In hoc etiam conspirant Patres omnes, Deique in mundi administratione providentiam mirè prædicant: sic S. Cyprianus scribens ad Demetrium Africæ Proconsulem: Ipse, inquit, est mundi Dominus, & rector, & cuncta arbitrio ejus, ac nutu geruntur. Sanctus etiam Augustinus in Psal. 145. Fecit, inquit, Deus cælum, & terram, & mare, & omnia que in eis sunt, & te, parum dico te, & passerem, locustam, vermiculum: nihil horum non ille fecit, & cura est illi de omnibus. Idem passim docent alii Patres, quos hic brevitate causâ omitto.

VI. Deicreati creati providentiam ubique agnoscunt Deo.

VII. Deus qui in seipso factus ab æterno præconcepti, omniumque tum deum modo dicitur fuit.

Ratio denique est: Deus siquidem ad rerum omnium productionem concurrat, & cum causis secundis, modo ad eujusque naturam proportionato in dies cooperatur, mediâque ipsis ad fines suos

fios convenientia preparat: quicquid autem jam in tempore facit, ab aeterno cognoscit, & velut peritissimus artifex omnia ad illius effectiorem disponit; nulla enim Deo in tempore advenire potest nova, vel intellectus operatio, vel voluntatis, ut in superioribus ostensum est, sic enim mutaretur, quod Deo penitus repugnat

SECTIO TERTIA.

Quarum rerum habeat Deus providentiam.

**L** Deus omnino rerum, juxta naturam, habet Providentiam.

**R**ESPONDETUR, omnium omnino, etiam peccatorum, quae permittit quidem, praecipit tamen, & poenarum comminatione homines ab eorum perpetratione deterret. Reliquis vero rebus congruenter ad suos fines prospicit, elementis vim motivam, animalibus organa ad suas functiones exercendas idonea tribuendo, omnibus denique juxta cujusque naturam, ut, paulo ante diximus, providendo. In quam rem pulchre S. Augustinus lib. 7. de Civit. Dei, cap. 29. *Illum, inquit, Deum colimus, qui naturis a se creatis, & subsistentis, & movendi mira, finesque constituit, qui rerum causas habet, novit, atque disponit.*

**II.** Dei providentia nihil nostram libertatem immittit.

Dices primo: Si Deus providentiam habeat circa actus nostros liberos, cum haec providentia sit efficax, tollitur eorum libertas. Respondetur, per hanc Dei providentiam nec tolli, nec ulla ex parte minui nostram libertatem; Deus enim circa actus liberos parat solummodo, iis concursum indifferenter, per quem nulla vis infertur voluntati, sed ita datur ei posse actum aliquem elicere, ut eum possit non elicere. Utrum autem Deus possit actum liberum praesumere, dictum est in libris de animam Disp. 25.

**III.** Quod peccata ab hominibus perpetrarentur, non derogat perfectissima Dei Providentia.

Dices secundò: non videtur posse Deum habere providentiam circa peccata, sic enim eo sciente & volente perpetrarentur. Respondetur Deum scire quidem fore ut peccata ab hominibus admittantur, non tamen eo volente (utpote qui ea prohibet & punit) sed solum permittente accidere, quaeque non tenetur impedire, cum ut Auctor naturae, creaturam rationalem & liberam ita regere teneatur, ut eam suam in operando relinquat libertati. Ita vero peccata permittit, ut ex eorum perpetratoe multum boni eliciat. Hinc S. Augustinus in Enchiridio, cap. 11. *Deus omnipotens, inquit, nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, & bene faceret, etiam de malo.* Unde & de facto Deus ex peccatorum permissione infinitum bonum elicit, Divini scilicet Verbi Incarnationem; Magnus enim de caelo venit Medicus, quia magnus in terra jacebat agrotus; nec nisi homine peccante Christus ex vi praesentis decreti venisset, ut in tertia parte ex communi Patrum consensu, Deo dante ostendam: canente etiam Ecclesia, *O felix culpa, qua talem actantum meruit habere Redemptorem.*

Deus ex malo bonum semper elicit.

Incarnationem Deum ex peccati permissione elicit.

**IV.** Nobis multa casu contingunt, Deo nihil, sed omnia ex summa providentia, & consilio sunt.

Nec obstat Divinae providentiae, quod multa casu, & fortuito eventu accidant: quantumvis enim nobis casu eveniant, à Deo tamen summo omnia consilio, infinitaque sapientia fiunt, nec nisi ab aeterno praevisa, contingunt. Quod appositissimo ad hoc exemplo Domini duos famulos in eundem locum, diversis viis mittentis declarat S. Thomas hic, quaest. 22. art. 2. ad 1. hi enim sibi casu occurrunt, non tamen hoc casu accidit respectu Domini;

qui utrumque sciens & prudens ad illum locum destinavit. Hinc S. Augustinus in Psalm. nonum, *initio Omnia, inquit, ad Divina Providentia regimur referuntur, quae stulti quasi casu, & temere, nullam Divinam administrationem fieri putant.*

S. Augustinus.

Tandem magnum principem non dedecet ad minima attendere, si id summa facilitate, & sine omni molestia praestet, nec ulli sit ipsi impedimento, quo minus simul curet majora, ut in Deo contingit, qui infinita, quam habet, Sapientia; univèrsa sine ulla difficultate administrat. Deus, inquit S. Augustinus lib. 11. de Civitat. cap. 22. *ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis, quae parva, non sua granditate, nam pene nulla est, sed Artificis sapientia merienda sunt.* Adde maximam hoc in Deo arguerè perfectionem, utpote qui rebus omnibus ita est necessarius, ut sine eo nihil, aut esse, aut functiones suas & ministeria exercere possit. Non tamen habet Deus specialem illam curam de rebus irrationalibus, quam habet de homine: quo sensu dixit Apostolus 1. ad Corinthios, cap. 9. v. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo.*

V. Magnum Principem non dedecet minimorum curam gerere.

SECTIO QUARTA.

Alia quaedam circa Divinam Providentiam inquiruntur.

**Q**UÆRES primò: Utrum Divina Providentia finem in rebus creatis intentum semper assequatur? Affirmat Cajetanus hic, art. 1. & alii: sic enim Sapient. c. 8. vers. 1. de Divina Sapientia dicitur: *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* In quadam etiam Oratione dicit Ecclesia: *Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur.*

I. Prima sententia est affirmativa.

Alii nihilominus secuti S. Thomam in 1. dist. 40. quaest. 1. art. 2. negant Divinam Providentiam semper assequi finem in rebus creatis intentum. Inprimis enim *Deus vult omnes homines salvos fieri;* qui tamen omnes salutem, seu hunc finem à Deo intentum non consequuntur. Multa etiam praecipit Deus, multa prohibet, nec tamen illa faciunt homines, nec ab his abstinent; ergo Divina Providentia non semper omnem finem assequitur: ita Molina hic, quaest. 22. art. 1. disp. 2. Vasquez disp. 87. cap. 4. & alii.

II. Secunda negativa.

Probationes hujus sententia.

Media inter has duas sententias via est incedendum. Dico itaque Divinam Providentiam finem primum & efficaciter intentum semper assequi, non tamen semper assequi secundarium, quem scilicet non intendit efficaciter. In rebus itaque naturalibus (de his enim praecipue instituitur praesens quaestio) dum causas secundas disponit, & organa, potentia, aliisque mediis ad aliquid faciendum seu assequendum Deus instruit, finem primum & principaliter intentum semper obtinet, nempe ut antecedenter, & quantum est ex Deo finem suum consequantur, ut scilicet arbores ferant fructum, agri fruges, &c. Quod verò interdum non ferant, & finem suum in actu secundo non obtineant, est Deo per accidens, vel quod aliqua ex causis naturalibus, cum qua ut Auctor naturae tum debet concurrere, astrum, verbi gratia, aliquod intempestas pruinas aut calores afferens, id exigat, vel quod Deus ipse ob peccata hominum hos interdum effectus impediat. Ad hoc ergo ut Divina Providentia rebus naturalibus ad fines suos assequendos abundè prospexisse censatur, sufficit quod

III. Divina Providentia finem primum semper assequitur, non semper assequitur secundarium.

Quo pacto Deus finem principaliter intentum semper obtineat.

Quid sit Deum rebus naturalibus providere.

quod eas rectè disposuerit, vimque iis indiderit ad effectus suos simul cum concursu Dei generali producendos, licet eos subinde non producant.

**IV.** Quæres secundò: Utrum Deus per suam providentiam res omnes & effectus naturales prædefiniat? Respondetur, ea quæ Deus per se immediatè produxit, ut cælum, terram, aliæque elementa, in particulari omnia prædefiniuit. Ratio est, Deus quippe hæc solus facit, à nullo alio determinatus, ergo efficaciter vult illa facere, voluitque ab æterno: quod enim semel vult, semper vult, nec ulla in voluntate ejus esse potest vicissitudo aut mutatio, ut in superioribus ostensum est: hoc autem est ea præfinire, cum præfinitio nihil aliud sit, quàm voluntas efficax, ut res aliqua producat, & à parte rei existat.

**V.** De rebus autem aliis, quas Deus, non solus, sed simul cum causis secundis producit, quamvis perfectissimè sciat quot & quæ, etiam in minutissimis rebus, muscis, formicis, &c. futuræ sint, non tamen directè & immediatè eas prædefinit, sed solum in dispositione causarum, & in decreto concursus simultanei, & determinationis ad individuationem, modo in libris Physicorum, Disp. 31. explicato. Quod à fortiori de actibus quibusdam verum est; nec enim dicendum videtur Deum prædefiniere motus turpes, etiam non liberos, & alias id genus actiones inhonestas, quantumvis in amentia, aut extra statum libertatis factas.

**VI.** Quæres tertio: quomodo Providentiâ differat à Prædestinatione? Respondetur differre sicut genus differt à specie, Providentiâ enim latius patet, quàm Prædestinatio: hæc namque solum creaturam rationalem spectat, illa quæcumque: hæc pro fine habet beatitudinem, & consequenter media supernaturalia respicit, per quæ acquiritur; illa est circæ quemcunque finem, sicque ad quævis se media extendit: Prædestinatio denique semper finem suum assequitur, Providentiâ non semper, saltem quoad finem secundarium, ut numero tertio ostensum est.

**VII.** Quæres quartò: quo pacto Providentiâ differat à Fato? Respondetur Providentiâ, ut sectione primâ diximus, esse scientiam & voluntatem divinam, causas ad suos effectus præparantem. Fatum verò est ordo & series rerum creaturarum seu causarum hujuscemodi & effectuum, prout subsunt divinæ præscientiæ, juxta illud Boetii lib. 4. de Consol. prosâ 6. *Fatum est inherens rebus mobilibus dispositio, per quam Providentiâ suis quæque necit ordinibus.* Sed de Fato in præsentis satis: ejus enim naturam, & triplicem, quâ ab Ethnicis sumitur, acceptionem, Fatum scilicet *Mathematicum, Naturale, & Divinum*, latè tractavi in Prometheo Christiano, Disp. 13. cap. 4. & quinto.

**VIII.** Quæres quinto: utrum prima rerum productio sit pars providentiæ? Respondetur, propriè non esse; Providentiâ enim, cum sit ratio ordinis ad finem rei quam ordinat, productionem supponit. Unde S. Thomas q. 5. de veritate, a. 1. ad 9. *Sic, inquit, Providentiâ differt ab arte divinâ, & dispositione, quia ars divinâ dicitur respectu productionis rerum, sed dispositio respectu ordinis producendarum, Providentiâ autem dicit ordinem in finem artificiatum.*

**IX.** Quæres sexto: Utum positâ primâ rerum productione, providentiâ de iis sit Deo libera. Certum est de potentiâ absolutâ, nec respectu rerum materialium, nec spiritualium, hominum scilicet & Angelorum, esse providentiâ Deo necessariam: ita Suarez lib. 3. de Attributis positivis, cap. 10. n. 11. & alii. Ratio est: Providentiâ enim est quid di-

stinctum à primâ productione: cum ergo Deus sit rerum omnium absolutus Dominus, nulli faceret injuriam, si suo jure ac dominio uteretur, & hanc iis providentiâ negaret. Unde de potentiâ absolutâ potuisset Deus homines condere, & non majorem de iis quàm de aliis animantibus curam habere.

Hoc, inquam, de potentiâ absolutâ; connaturaliter enim loquendo, non potest Deus igni ad stuppam applicatò concursum negare ad comburendum, quamvis absolutè & miraculosè possit, ut fecit in fornace Babylonicâ respectu trium puerorum. Sicut etiam non potest homines ita relinquere, quin quædam eis det præcepta, & pœnas proponat ac præmia.

Dices: ergo ratione naturali probare non possumus, de factò dari in Deo hujuscemodi providentiâ. Respondetur, licet Deus non ita teneatur ad hanc providentiâ habendam, quin, ut diximus, possit de potentiâ absolutâ illam non habere, cum tamen, ut proximè ostensum est, connaturaliter eam habeat, nec nisi miraculosè carere illâ possit, & hoc sensu ad eam necessitetur; licet, inquam, cum hoc ita sit, metaphysicâ certitudine non constet, dari in Deo hanc providentiâ, constat tamen certitudine physicâ, vel morali, ita ut nemo de eo dubitare possit, sicut nemo dubitat de ortu crastino solis, de Eclipsi, quam tali vel tali die futuram dicunt Astronomi, utrum ignis stuppæ applicatus, sit eam combusturus: hoc autem abundè sufficit ad demonstrationem naturalem hujuscemodi providentiæ.

## SECTIO QUINTA.

### An ad Providentiâ circa causas liberas necessaria in Deo sit Scientiâ media seu conditionata.

**R**ECENTIORES aliqui, esto dicant Deum hanc scientiam non posse non habere, cum nequeat non scire omne scibile, & eo modo quo est scibile, aiunt tamen ad providentiâ non esse omnino necessariam, sed posse Deum per scientiam simplicis intelligentiæ de rebus omnibus perfectè disponere, & mundum administrare. Unde, inquit, quamvis uti Deus hæc scientiâ possit, si velit, imò etiam ad suavius gubernandum creaturas multum conducat, cum per eam sciat Deus, non solum quid per hæc vel illa media efficere illæ possint, sed insuper quid, si ea ponentur, de factò essent facturæ; ad mundi tamen administrationem, creaturasque etiam liberas juxta suam naturam simpliciter gubernandas, asserunt ejus usum nullo modo esse necessarium. Hanc sententiâ latè defendit P. Arriaga hic, Disp. 32. sectione quartâ.

Dicendum nihilominus sine scientiâ conditionatâ non posse haberi providentiâ Deo dignam: esset enim ipsius ordinatio ac dispositio exposita errori, & frustrabilitati, nec posset quidquam prudenter statuere: ita Suarez opus: *Opusc. de scientiâ condit. sect. 4. num. 6. Molina hic, q. 14. a. 13. Disp. 18. memb. 3. Vasq. 1. p. Disp. 98. cap. 6. num. 42. Herice hic, disp. 22. cap. 3. Lessius de auxiliis, cap. 4. num. 16. & recentiores communiter.*

Ratio est: ut enim quis prudenter operetur, & de re aliquâ perfectè disponat, antequam agere incipiat

**IV.** Deus effectus omnes naturales, quos ipse solus producit, in particulari, immediate prædefinit.

**V.** Quid de illis rebus sentiendum, quas Deus, non solus, sed cum causis secundis producit.

**VI.** Providentiâ in multis differt à Prædestinatione.

**VII.** Quæ ratione Providentiâ differat à Fato.

**VIII.** Prima rerum productio non est propriè Providentiâ.

S. Thomas.

**IX.** Providentiâ est Deo de potentiâ absolutâ libera.

**X.** Non potest Deus connaturaliter non habere rationem creaturarum Providentiâ.

**XI.** Naturali demonstratione ostenditur potest in Deo dari Providentiâ.

**XII.** Ad demonstrationem naturalem non habet, sufficit demonstratio physica.

**I.** Prima sententiâ non ad Providentiâ necessariam, sed ad scientiam simplicis intelligentiæ.

**II.** Asserunt, malum ad mundum regere non esse necessarium.

**III.** Sine scientiâ conditionatâ non haberi providentiâ Deo dignam.

**III.** Ad prudentiam agere incipiat.

quã disposi-  
tionem scire  
quis debet  
quomodo even-  
tum actio  
quã sit ha-  
bitura.

incipiat scire debet, quem eventum actio ejus sit habitura, alioqui feretur in incertum, ejusque operatio ut dixi frustrabilitati erit obnoxia. Deus ergo, cum non nisi prudentissime agere possit, prius, hæc omnia perfecta habeat oportet, quam decernat. Imò nisi antequam det auxilium, & media ad rei alicujus effectiorem adhibeat, sciat, si dentur, quid factura sint, & quem res exitum habitura, nihil prudenter statuet, sed incerto semper modo, planèque fallibili procedet.

IV.  
Scientia simp-  
licis intelli-  
gentia ad re-  
ctã de crea-  
turis, præser-  
tim liberis,  
disponendũ  
non sufficit.

Dices: Deus per scientiam simplicis intelligentiæ diversa media cognoscet, quæ efficere talem actum possunt. & finem illum consequi, ergo talis actus & finis est per illa media possibilis; sed Deus velle potest quicquid est possibile, & eo modo quod est possibile; ergo. Respondetur aliud quoad hoc esse de causis necessariis, aliud de liberis. Quod ergo media illa possint talem actum efficere, non sufficit, nam possunt etiam illum non efficere, nec aliter eum efficere possunt, nisi ex consensu voluntatis; hæc enim est natura mediorum indifferentium, ut voluntatem suam relinquunt libertati. Si ergo media relinquuntur naturis suis, solum velle potest Deus ut possint, seu ut voluntas per ea queat ejusmodi actum elicere: si autem absolute velit Deus hunc actum per istud medium fieri, quando aliã voluntas non erat per illud actum hic & nunc elicitura, infertur vis voluntati, & nec ipsa, nec medium suæ relinquuntur naturæ.

Deus volun-  
tatis & me-  
dia debet  
naturis suis  
relinquere.

V.  
Obijc. Prin-  
cipia omnia  
hujus actus  
precedunt  
scientiam  
conditiona-  
tam.

Respondent Deum antecedenter ad scientiam conditionatam habere omnia ad actum illum liberum elicendum requisita: voluntas enim collativa auxilii, seu medii ad illum requisiti, voluntas item concurrendi in actu primo præcedunt scientiam conditionatam, hæc etenim supponit effectum conditionatè futurum; ergo à fortiori supponit voluntatem collativam auxilii, & concurrendi in actu primo. Cum ergo Deus ante scientiam conditionatam habeat omnia principia ad actus hujus productionem necessaria, quidni uti illis poterit pro illo priori, si voluerit?

VI.  
Resp. Prin-  
cipia hujus ac-  
tus non esse  
proximè ex-  
pedita sine  
scientia con-  
ditionatã.

Sed contrã: nam etiamsi concederetur totam vim purè physicam, seu physice influentem & absolute antecedentem, præcedere scientiam conditionatam, non tamen sequitur posse sine hac scientiã virtutem illam prodire in actum, & esse proximè expeditam quoad operandi modum; ad hoc namque requiritur, ut possit Deus prudenter in suis operationibus procedere, & infallibiliter finem per hoc vel illud medium assequi; alioqui expedita esset frustrationi ejus voluntas; intendens quippe dare medium efficax, daret interdum inefficax, nisi prius sciat quid, dato tali auxilio, voluntas sit factura. Cum ergo hoc per solam scientiam simplicis intelligentiæ non noverit, sed tantum per scientiam conditionatam, nihil nisi ex hujus directione statuere potest: perinde enim est apud Deum, non posse omnino statuere, & non posse statuere prudenter.

Perinde est  
Deo nõ posse  
omnino sta-  
tuere, & non  
posse statuere  
prudenter.

VII.  
Conditiona-  
le nil petit  
in esse.

Adde, non videri necessarium, ut ulla volitio, aut principium actus conditionatè futuri præcedat actu & absolute; nam ad conditionatam existentiam effectus, sufficit conditionata similiter existentia causa; conditionale autem nil petit in esse, sed solum poneret, si illa conditionalia de facto ponerentur. Unde causa posita in esse absoluto, poneret absolute, quod in esse conditionato ponit conditionatè.

SECTIO SEXTA.

Probatur ulterius scientiam conditionatam esse ad Providentiam necessariam.

**N**ECESITAS scientiæ conditionatæ ad providentiam probatur secundò: nam secundum contrariæ sententiæ Auctores conducere potest ad providentiam; unde P. Arriaga hic, Disp. 32. sect. 4. num. 43. ait conferre scientiam conditionatam ut Deus suavius gubernare possit creaturas, ergo potest hæc scientia antecedere Providentiam, & in rerum dispositionem influere, Deum scilicet in iis ad hos vel illos fines ordinandis dirigendo: ergo de facto antecedit Providentiam, & in eam influit, imò non potest non influere, Deumque in rerum dispositione non dirigere: non enim dirigit efficienter, seu aliquid in Deo producendo, sed formaliter, & per seipsam. Ac proinde scientiam conditionatam dirigere volitionem aliquam Dei, & in eam influere, aliud nihil est, quam hanc scientiam & illam volitionem simul in Deo existere: alioqui, ut rectè notant Recentiores aliqui, dicere quis posset, hominem aliquem finari posse cum plenã advertentiã malitiæ, & nihilominus advertentiam illam in hunc ejus actum non influere, quod omnes merito censent esse impossibile. Et quaerem ab his Auctoribus, dum dicunt scientiam mediam efficere interdum, ut Deus suavius creaturas rationales gubernet; quaerem inquam, quid aliud sit suavis hæc gubernatio ex parte Dei, quam volitionis divini & hujus scientiæ coexistentia.

I.  
Si scientiã  
conditiona-  
ta possit in  
providen-  
tiam influe-  
re, de facto  
in eam in-  
fluit.

Scientia con-  
ditionata  
dirigit vo-  
luntatem  
formaliter,  
& per seip-  
sam.

Probatur tertio: Providentia Dei esse debet perfectissima, ac proinde disponere per illam de re nullã potest Deus, nisi omnibus perpensis, quæ quovis modo ad hanc dispositionem queunt conducere, ita nimirum, ut nihil occurrere novi possit, quod antea non cogitaverit; hoc enim summi Numinis præstantia, hoc infinitæ sapientiæ ratio postulat, perfectissimæque providentiæ excellentia, & retractationem omnem ac mutationem excludens: sed cognitio effectus sub conditione futuri, actus liberi exempli gratiã si tale vel tale detur auxilium, est circumstantia, quæ multum conferre potest ad hujusmodi auxilii collationem; ergo hoc cognosci prius debet, quam Deus de auxilio illo disponat: contingere enim potest, ut sit causa, cur non hoc, sed aliud auxilium donet: & sic de aliis.

II.  
Ex summa  
divina pro-  
videntiã per-  
fectione est  
dicitur scien-  
tiã mediam  
esse ad eam  
necessariã.

Cognitio rei  
sub conditi-  
one futuri  
conferit ad  
providen-  
tiam.

Probatur quarto: Dei dignitas & perfectio requirit, ut quovis instante possit liberè & infallibiliter peccatorem convertere; hoc autem sine scientiã conditionatã fieri non posse, videtur manifestum; ergo. Major communi Theologorum consensu admittitur, estque mens S. Augustini, passim docentis penes Deum esse humanam voluntatem in quacunque velit partem inflectere, Cui, inquit, volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Imò ipsa divini literæ hoc testantur, dicentes in manu Dei esse corda regum: quod alio modo intelligi nequit, quam quia Deus per scientiam conditionatam prævidens quid humana voluntas, hoc vel illo dato auxilio sit factura, possit ejusmodi auxilium, seu gratiam congruam dare, ex vi cujus infallibiliter semper, quicquid Deus vult, faciet.

III.  
Liberè &  
infallibiliter  
Deus con-  
vertit ne-  
quis pecca-  
torem sine  
scientiã con-  
ditionatã.

Quomodo  
scientiã con-  
ditionatã  
conferat ad  
infallibiliter  
converten-  
dum pecca-  
torem.

Hoc

SECTIO SEPTIMA.

Solvuntur argumenta contententia Scientiam conditionatam ad Providentiam non requiri.

IV. Scientia simplicis intelligentiæ & visionis ad conversionem infallibilem peccatoris non sufficit.

Scientia visionis supponit media jam collata.

V. Successiva collatio mediæ conditæ ad certam conversionem peccatoris.

VI. Nec etiam sufficit cumulus mediæ conditæ certo instanti peccatori à Deo collatus.

VII. Sine scientiâ conditionatâ nequit Deus in dandis auxiliis facere majus beneficium electo, quam reprobo.

Hoc etiam affirmat S. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quæst. secundâ: Si, inquit, veller Deus eorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset ut moverentur, & intelligerent: & intrâ: Eum cuius miseretur, ita vocat, quemadmodum scit ei congruere, ut vocentem non respuat. Hoc autem sine scientiâ conditionatâ fieri non posse videtur manifestum; nulla namque alia scientia ad hujusmodi media, infallibiliter inferentia consensum conferenda sufficit; scientia enim visionis supponit media seu auxilia jam data, cum supponat consensum elicitum, ergo à fortiori supponit media, hæc enim antecedunt consensum, cum sint illius causa, ergo dirigere Deum non potest ad illa media conferenda. Scientia autem simplicis intelligentiæ solum ostendit posse Petrum tali instanti per illa media converti, cum hoc nihilominus stare potest negatio conversionis: hæc ergo scientia sola ad infallibilem Petri pro determinato aliquo instanti conversionem non sufficit, ut latius dictum est sectione præcedente, numero tertio & quarto.

Dices: potest Deus tali instanti dare peccatori alia & alia auxilia, donec tandem consentiat. Contrâ si per primum non consentiat, non potest illo instanti consentire per reliqua, sic enim eodem reali instanti haberet actus contradictorios; non consentiendo enim primo medio non dicit, nolo converti per hoc medium, sed absolute, nolo converti: si ergo eodem instanti consentiret alteri medio, simul vellet & nollet converti. Adde, indignum esse Deo ut hoc modo procedat tentando, & quasi dubius de eventu, & successum quem auxilium sit habiturum, sed quicquid facit, ex certissimâ scientiâ faciat oportet, ad quod simpliciter necessaria est scientia conditionata.

Quod si quis dicat Deum dare simul posse cumulum auxiliorum, per quæ certò peccatorem convertat. Contrâ est primò: Deus enim de facto non hoc modo procedit, ergo de facto in suis operationibus certò non procedit. Contrâ secundò, non enim potest anima pro hoc statu ad tot simul auxilia, seu cogitationes attendere. Contrâ tertio, nam hoc etiam modo Deus non est perfectè, sed solum moraliter certus illo instanti de conversione peccatoris, nam cumulus ille mediæ conditæ, ut supponimus, non aufert homini libertatem, ergo posito etiam illo cumulo potest non converti, ergo ut Deus certò & infallibiliter peccatorem convertat, habere debet scientiam conditionatam.

Tandem sine scientiâ conditionatâ non potest Deus in dandis auxiliis majus beneficium electo præstare quam reprobo, cum sine eâ scire nequeat quodnam auxilium habiturum sit effectum in quo ratio majoris beneficii consistit. Ob eandem etiam causam non potest Deus sine scientiâ conditionatâ electos per media liberè efficacia ad gloriam infallibiliter perducere, cum non nisi per hanc scientiam cognoscere possit, quænam auxilia seu media sint efficacia, & habitura effectum. Ex quibus omnibus clarè meo iudicio conficitur, ita necessariam ad providentiam esse scientiam conditionatam, ut sine eâ Deus de rebus, homine præsertim, & agentibus liberis, modo vel se digno, vel nobis congruo disponere non possit.

Obicitur primò: hinc sequi scientiam conditionatam, dum representat Deum dantem auxilium ex scientiâ simplicis intelligentiæ, seu naturali, representare eum ut operantem imperfectè. Respondetur representare illum imperfectè præcursive, seu non cum omni perfectione, quam in operando habet, cum scientia conditionata non representet seipsam: non tamen eum representat imperfectè negativè, seu cum negatione scientiæ conditionatæ, hic enim operandi modus est Deo impossibilis. Ratio autem est quia scientia conditionata, non ut cognita concurrat ad providentiam, sed in quantum per eam cognoscit Deus, quid homo, si in his vel illis circumstantiis detur ei tale auxilium, sit facturus: sicque in actu exercito Deum dirigit, non quasi in actu signato.

Objicit secundò P. Arriaga citatus num. 35. si scientia conditionata præcedat consensum, seu actus nostros, tolli eorum libertatem, quicquid enim antecedit, seu tenet se ex parte actus primi, si stare nequeat cum utràvis parte contradictionis, tollit libertatem scilicet vel negatione consensûs, tollit libertatem; sed scientia conditionata est ejusmodi, si enim sit de futuratione effectus, cum sit infallibilis, stare nequit cum negatione futurationis, & econtrâ, si per eam cognoscat Deus consensum non futurum.

Contrâ primò: ipsemet enim Arriaga num. 43. licet asserat scientiam conditionatam ad providentiam non esse simpliciter necessariam, ait nihilominus multum conferre ut Deus suavius gubernet creaturas racionales, ita scilicet vocationes & auxilia iis conferendo, ut singulare ipsis præstet beneficium, unum nimirum præ alio eligendo, hunc prædestinando per meritum, alium hoc modo non prædestinando, illum certissimè à peccato præservando &c. In his ergo casibus Deus hæc omnia ex directione scientiæ conditionatæ præstat, ergo hominum istorum consensum antecedit hæc scientia, & tenet se ex parte cause, æquè ac in nostro casu, & tamen non tollit eorum in operando libertatem, sic enim non suavius, sed planè violenter eos gubernaret, modoque creaturæ rationali non conveniente, vim scilicet inferendo voluntati, rationemque meriti destruendo, quæ in libertate semper fundatur. Unde non daret iis auxilia per modum singularis beneficii, hoc enim in eo situm est, ut auxilium tunc detur, quando per scientiam conditionatam præcitur homo, si detur, liberè præbitur consensum. Item non potest Deus hunc prædestinare per meritum, illum certissimè labi in peccatum permittere, quæ tamen per scientiam conditionatam fieri posse concedit Arriaga citatus, si ipso facto quoddam per hanc scientiam Deus isthæ præcitat, liberas, & consequenter ratio meriti & peccati destruat.

Hinc ergo constat scientiam conditionatam, quantumvis antecedit, non tollere actuum nostrorum libertatem. Nec sufficit si quis dicat, ideo non tollere quia non est necessaria: primò enim est necessaria ad illa à Deo præstanda, quæ numero præcedente attulimus. Deinde si antecedit, & à destruitur ne libertatem quantum-

I. Cognitio præsentis Deum operantem aliquid scientiam conditionatam quomodo scilicet representat imperfectè.

II. Obi. Si illi nostros præcedat scientia media, tollit libertatem.

III. Varii modi sunt operatio scientiæ conditionatæ tollit libertatem.

Deum ex directione scientiæ conditionatæ præstat, ergo hominum istorum consensum antecedit hæc scientia, & tenet se ex parte cause, æquè ac in nostro casu, & tamen non tollit eorum in operando libertatem.

IV. Quod scientia conditionata non tollit libertatem quia non est necessaria ad illa à Deo præstanda, quæ numero præcedente attulimus. Deinde si antecedit, & à destruitur ne libertatem quantum-

quantumvis non sit necessaria ad illum habendum, si tamen aliud quam hoc non dicatur, tollit libertatem. Sic enim, licet prædeterminatio physica non sit ad actum aliquem eliciendum necessaria, si tamen infundatur voluntati, tollit, ut etiam admittit Arriaga, libertatem.

V. Præterea: Prædeterminatio efficax, ut idem fatetur, Disp. 8. de Animâ, sect. tertiâ, non tollit libertatem; hæc nihilominus æquè antecedit futuritionem absolutam consensus, ac scientia conditionata, & est causa mediata actûs, quem Deus efficaciter fieri intendit, cum antecedit media, quæ sunt immediata actûs illius principia, causa autem causa est causa causati. Ergo similiter scientia conditionata, etsi antecedit existentiam absolutam consensus, in quantum nimirum dirigit Deum ad media, per quæ consensus ille elicitur, conferenda, sicut etiam facit prædeterminatio, non tollit libertatem.

VI. Respondetur itaque scientiam conditionatam non antecedere consensum simpliciter, sed solum secundum quid; supponit enim illum aliquo modo futurum, nempe conditionatè: ideo enim novit Deus actum illum, si detur tale auxilium, futurum, quia posito quoddam daretur erat futurus, ergo hæc scientia non antecedit consensum simpliciter, sic enim non deberet supponere eum ullo modo futurum.

VII. Sicut ergo ob similem rationem Disp. 25. de animâ dixi Prædeterminatio efficacem non tollere libertatem, & fatetur P. Arriaga Disp. illâ 8. de Animâ citatâ; ita idem hic dicendum de scientiâ conditionatâ, non enim influit in actum, sed solum habet se per modum dirigentis seu applicantis mediâ immediatâ, & influentiâ: unde principia per quæ elicitur hic actus, eodem modo operantur, sive per scientiam mediâ applicentur sive non, quæ proinde illorum mediâ efficaciam subsequitur, sicque eorum operandi modum mutare non potest; & sicut Deus per hanc scientiam novit mediâ illa, si applicentur, operatura liberè, ita quando applicantur, operantur liberè, alioqui scientia hæc destrueret suum objectum.

VIII. Scientia ergo conditionata in actum non influit, sed solum applicat mediâ influentiâ, seu Deum ad ea conferenda dirigit: si verò principia in se sint libera, parum refert à quo applicentur, & utrum liberè dentur, an necessariò. Sicut si Deus necessariò ageret ad extra, si tamen eandem voluntatem humanam aut Angelicam tunc produceret, quam nunc producit liberè, illa æquè liberè eliceret suos actus, ac modò elicit.

SECTIO OCTAVA.

Alia quadam circa necessitatem Scientiæ mediæ ad Providentiam.

I. Obicit tertiò P. Arriaga num. 37. si scientia conditionata sit ad providentiam necessaria, ergo apprehendi debet ex parte causæ; omnia enim quæ in causâ aliquâ ad agendum prærequiruntur, conceptâ causâ completâ debent concipi. Unde, inquit, non sufficit ut Deus dicat: Si dero auxilium, Petrus consentiet: sed dicere debet, Si dero cum scientiâ conditionatâ auxilium, consentiet.

II. Sed contrâ: scientia enim naturalis, seu simplicis intelligentiæ secundum ipsum est simpliciter necessaria ad dandum auxilium, & per illud eff-

ciendam Petri conversionem: & tamen non est opus ut Deus dicat, si dero auxilium per scientiam simplicis intelligentiæ consentiet, sed sufficit hanc scientiam representare auxilium, ejusque viam ad eliciendum consensum, quamvis non representet seipsam: ad Deum quippe hic & nunc dirigendum satis est, quod rem ipsam ei representet, & in actu exercito ad auxilii collationem consensumque per illud efficiendum concurret. Idem ergo dic de scientiâ conditionatâ.

Ad argumentum itaque Respondetur, ad causam in actu primo completam concipiendam, non esse necessarium, ut quicquid remotè ad illius constitutionem concurret, cognoscatur: sic enim ut ignis concipiatur potens comburere non est opus ut actio ejus conservativa cognoscatur, quamvis nec divinitus sine eâ operari possit; sed sufficit si concipiatur entitas ignis applicata passo, simul cum concursu generali Dei, seu principia omnia immediatâ. Multò minùs ad hoc necessarium est ut cognoscatur causa ignis & passi conservativa, quamvis aliquam habeant necessitatem. Ratio autem est, nam à quacunque causâ & per quamcumque actionem producantur aut conserventur, eodem modo operantur; imò si per impossibiles essent à se, eundem tamen effectum producerent.

Ex quibus conficitur, ut cognoscatur causa completa, sufficere si representetur virtus ejus operativa simul cum principiiis unâ cum eâ ad effectum immediatè concurrentibus; alia enim solum sunt cause vel conditiones ut res sit, non ut operetur, quamvis ad hoc remotè concurrant. Idem ergo est de scientiâ conditionatâ, quæ non omnino influit in consensum, sed solum conducit ut Deus hic & nunc det tale vel tale auxilium; illud tamen auxilium in operando à scientiâ conditionatâ non dependet, sed sive ex eâ daretur, sive non, eodem modo operaretur.

Ut autem hæc melius percipiantur, advertendum, & possibilitatem & futuritionem rei alicujus duplicem esse, completam & incompletam: per possibilitatem incompletam intelligimus prædicatam rei intrinsecâ, nullam in se involventiam contradictionem: per completam verò possibilitatem intelliguntur ea omnia, quæ quovis modo conducunt ut res poni à parte rei possit. Unde non Omnipotentia tantum in Deo ad completam rei alicujus possibilitatem requiritur, sed etiam scientia.

Eadem similiter ratione ad futuritionem rei incompletam requiritur solum ut ponantur principia proxima, quæ rem illam de facto producent: futuritionem verò omnino completam ingrediuntur omnia, quæ quovis modo, directè vel indirectè, remotè vel proximè ad rem illam actu extra causas ponendam deserviunt. Hæc tamen omnia non eadem ratione ingrediuntur conceptum proprium futuritionis: unde per locum intrinsecum non defineret res esse futura, licet principia illa remota cessarent, modò perstarent proxima. Verum est quidem in hoc casu defineret consequenter res esse futura; si enim remota principia decissent, decissent similiter proxima, utpote quæ ab iis in existentia dependent: sic sublatâ actione conservativâ solis, periret lux & calor, aliique effectus à luce solis in rebus subltaribus producti, licet hi effectus ab actione solis non procedant. Ad cognoscendum ergo rem aliquam esse futuram, sufficit videri principia illius immediatâ; remota enim non nisi per hæc in eam influunt.

non esse opus ut omnia requirantur.

III. Quocirca conceptâ causâ completâ debet cognosci.

IV. Non est necesse ut cognoscantur principia mediata, sed solum immediata & influentiâ.

V. Possibilitas rei duplici, completa & incompleta.

VI. Quid requiratur ad futuritionem rei completam & incompletam.

Alio modo concurrunt principia remota, alio proxima.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tau. 1.

VII.  
Peculiaris  
ratio cur nō  
sit opus ut  
videatur  
scientia  
conditio-  
nata.

Adde peculiarem esse rationem cur non sit necesse ut scientia conditionata inter alia principia cognoscatur: præterquam enim quod sit principium remotum, ulterius concurret tantummodo directivè: ad hoc autem ut principium directivum concurrat, non est opus ut ipsum cognoscatur, sed ut per ipsum cognoscatur objectum, hoc enim sufficit ad movendam voluntatem, ut rem illam, & principia ad illam requisita velit. Unde quamvis scientia conditionata ad providentiam sit ex parte Dei simpliciter necessaria, opus tamen non est ut visâ causâ consensus, videatur.

VIII.  
Ad commu-  
nem etiam  
providentiâ  
requiritur  
in Deo scien-

Nullum ergo argumentum video, quod adversarium intentum convincat, nec cui commodè responderi nequeat. Quare existimo ad communem etiam providentiam esse simpliciter in Deo necessariam scientiam conditionatam, nec sine eâ

Deum unquam, circa causas præsertim liberas, operari posse. Hoc probant argumenta supra posita, illud maximè sectione sexta, num. 2. Deum enim operari non decet nisi omnibus perpensis, cunctasque circumstantias cognoscendo, quæ ad rei alicujus dispositionem facere possunt; hanc quippe rationem assignat S. Thomas 1. p. q. 19. art. 7. corp. cur Deus mutare decretum non possit. Nullum ergo in Deo esse debet decretum, quod non procedat ex consideratione omnium, quæ quovis modo ad rei alicujus productionem pertinent: una autem ex præcipuis circumstantiis circa auxilium est, utrum, si detur, sit habiturum effectum, & voluntas ex vi illius consensus, ut loco citato latius declaratum est: ergo Deus non nisi hoc visò, illud conferre potest.

Operari  
potest Deus  
nisi omni-  
bus placet  
perpensis.

## DISPUTATIO XXXVIII.

### De Providentiâ supernaturali, omnibus communi.

**P**RÆDESTINATIO, ut Disputatione sequente videbimus, ad solos Electos pertinet, estque eorum propria, qui de facto salutem consequuntur. Reprobatio econtrâ de iis dicitur, qui ad æternam vitam nunquam pertingent. In præsentî itaque de Providentiâ agimus reprobis juxta & prædestinatis communi. Tria proinde in hac Disputatione sunt inquirenda: Primò, utrum Deus velit omnes homines salvos fieri, qua de re nonnulla dicta sunt supra, Disput. 29. sect. 3. pleniorè tamen ejus discussionem huc remisi: Secundò, an adultis omnibus det media sufficientia ad salutem: Tertio, num etiam parvulis hac in parte sufficienter sit provisum; de iis enim peculiaris videtur esse difficultas.

#### SECTIO PRIMA.

#### Velitne Deus omnes homines salvos fieri.

I.  
Hæreticorū  
quorundam  
sententia.

**R**IGIDIORES Calvinistæ affirmant Deum ex se, & antecedenter ab æterno decrevisse omnes, præter Electos, perpetuis addicere cruciatibus, licetque non solum non habere voluntatem ullam reprobos salvandi, sed positivam etiam habere intentionem eos, nullis prævisis demeritis, damnandi.

II.  
Catholicorū  
aliquorum  
opinio.

Secunda opinio est quorundam Catholicorum, qui similiter aiunt Deum circa reprobos non habere voluntatem eos salvandi: ita Alvarez de auxiliis, Disp. 30. num. 7. & Disp. 34. Bannez hic, quæst. 22. artic. 1. ad 4. Cajetanus ibidem, & alii.

III.  
Deum habet  
voluntatē,  
non signi-  
tantium, sed  
beneplaciti  
salvandū  
opinio.

Verissima tamen, & planè amplectenda sententia est, Deum veram & sinceram habere voluntatem antecedentem omnes homines salvandi, conditionatam quidem illam, & ab eorum cooperatione dependentem, ejusmodi tamen ut non sit voluntas tantum signi, sed verus in eos affectus, & ratione cuius dat iis media sufficientia ad salutem consequendam, ut paulò post videbimus: ita S. Thomas hic, quæst. 19. artic. 6. ad primum:

Deus, inquit, antecedenter vult omnem hominem salvari; sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ. Idem tenet S. Bonaventura in disp. 46. art. 1. quæst. 1. Halensis 1. parte, quæst. 36. memb. 2: Suarez hic, lib. 4. de Prædest. cap. 1. & 2. Salmeron disp. 6. in priorem Epist. ad Timoth. Bellam. lib. 2. de Gratiâ, cap. 5. Lessius de Prædest. num. 66. Vasquez, Valentia, Molina, Arrubal hic, quæst. 19. art. 6. Ericc Disp. 17. cap. 3. Tannerus 1. p. disp. 2. quæst. 10. dub. 3. num. 5. Faber in 1. tom. 2. disp. 58. cap. 5. Alarcon hic, tract. 5. disp. 6. cap. 3. Granada 1. p. tract. 4. disp. 4. & alii. Quod verò de hominibus dico, idem dicendum de Angelis.

IV.  
Partis Scri-  
pturæ  
testimonia  
Deum velle  
omnes sal-  
vos fieri.

Probatur in primis, variis Scripturæ locis, à Suarîo citato & aliis afferri solitis, quibus ostenditur Deum velle omnes salvos fieri: Sic enim Ezech. 18. vers. 23. & cap. 33. v. 11. dicit Deus se velle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Apocal. etiam 3. v. 20. ait: Ego sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, &c. Joannis item 1. vers. 9. dicitur Deus illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. His consonat illud 2. Petr. 3. v. 9. Patienter inquit Apostolus, agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti. Quibus Scripturæ locis constare videtur, Deum velle omnes homines salvos fieri: quorsum enim stat ad ostium cordis uniuscujusque, & pulsat, inspira-  
tiones